

D. F. G.
DISSERTATIO ACADEMICA,
OBSERVATIONES CIRCA
AFFECTUS
IN UNIVERSUM SPECTATOS,
SISTENS;

QUAM
CONSENSU AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS.
PRÆSIDE
M. HENRICO GABR.
PORTHAN,

Eloquentiæ PROFESSORE Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publicæ disquisitioni submittit

ABRAHAM. EENQUIST,

Ostrobotniensis,

In AUDITORIO MINORI Die XXIX Junii

An. MDCCLXXVIII.

H. A. M. C.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL,
Reg. Acad. Typogr.

//

VIRO spectatissimo & probatissimæ fidei,
D: no HENRICO EENQUIST,
Liquidationis Commissario, ac publicorum negotiorum
in parocia Limmingo Administro & Exactori
vigilantissimo,

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Beneficia maxima, quibus me, *Pater optime*, per totam vitam meam cumulasti, ne prædicandi quidem digne, mihi facultatem esse fateor, multo minus rependendi spem ullam. Nullam autem *Te* aliam spectare gratiam, quam quæ pio animo exhibetur, certissimus, huic tanto impensius indulgeo; cujus piæ gratissimæque mentis æstus, nulla non occasione erumpere gestiens, has quoque pagellas, *Tua* munificentia in lucem emissas, consecrari *Tibi* iussit, testes sincerissimi affectus publicas futuras. Quam pietatem si *Tibi* placere intellexero, summa inde lætitia perfundar. Servet *Te* DEUS ter Optimus Maximus diu salvum atque sospitem, mihi *Tuisque* omnibus gaudio exoptatissimo! Ita vovet vovebitque

PATRIS INDULGENTISSIMI

Filius obedientissimus.
ABRAHAM, EENQUIST.



§. I.

Cum affectuum in vitam humanam atque felicitatem nostram tam insignis sit vis atque momentum; facile intelligitur, illos mentes attentionemque hominum non potuisse non tempestive in se convertere. Raro autem solent res quæcunque eandem quasi omnibus obvertere faciem, & simili sub forma spectandas se cuique præbere; quare in contrarias sæpe animi hominum distrahuntur sententias: itaque idem doctrinæ de affectibus contigit, quæ materiam controversiis mature præbuit; ut vel ex celebri Stoicos inter & Epicureos aliosque Philosophos olim agitata de hoc argumento lite, dicere licet. Argumentum vero hocce, cum latissime vim suam diffundat, non uni disciplinæ aut uni eruditorum generi contemplandum se commendavit. Ab *Ethicæ* enim *doctrinibus*, homines affectibus nunc ad præclara facta acrius suscipienda incitari, nunc in vitia temere præcipitari, perspicientibus, primo tractabantur: mox & a *Rhetoribus* & *Poëtis*, qui vim eorum in persuasionis & delectationis negotio vel adjuvando vel impediendo animadvertentibus (a). Tandem, cum peculiaris disciplina enasceretur, quæ animi humani naturam & proprietates rimaretur, etiam ejus doctores, s. *Psychologi*, non poterunt non suæ eos considerationi subicere. Ut *Physicos* & *Medicos* taceam, qui de vi illorum in corpus disquirere

(a) Vis affectuum in ideas & judicia nostra, nec *Logicis* eos prorsus intactos omittit, permittit.

rere atque præcipere, & debent & solent; *Pictoribus* etiam atque *Sculptoribus* multum lucis & adjumenti in suo feliciter urgendo negotio, ea re præbentes.

§. II.

Videtur autem inter disciplinas, quæ hos motus, intuitu efficacitatis spectant quam in animum exercent, ita debere hæc materia distribui, ut *Psychologi* primum naturam eorum, cum univèrse, tum sigillatim spectatorum, diligenter debeant explicare, & ex animi natura quantum fieri possit declarare, ac ita fundamenta subministrare *Artis Oratoriae & Poëticae*, nec non *Philosophia Moralis doctoribus*, quibus hi suam deinde pro scopo cuique proposito superstruant præceptionem. Itaque in hoc, ut nec in reliquis argumentis Psychologicis, arbitrariis haud licet definitionibus & decretis, præcariis sectæ cujusdam placitis, hypothèsibus temerariis, argumentationibus vanis a priori aut ab essentia animæ, quam plane ignoramus, ductis, confidere; sed experientiæ, tam nostræ, quam aliorum, fide dignæ, & observationis diligentia, omnia sunt accurate superstruenda. Deinde *Ethicæ doctores* vim summam harum animi commotionum in vitam nostram moralem persequantur, & cautionem atque prudentiam, qua in illis cohibendis, moderandis, dirigendis, opus est, solide & diligenter exponant. Tum *Rbetor & Poëtices* præceptor efficaciam eorum ostendant cum in mentis nostræ assensione & persuasione vel gignenda, adjuvanda, corroboranda, vita quasi & vigore donanda, vel contra impedienda, infirmanda, restringenda, tum in animi delectatione, jucunditate atque voluptate parienda; deinde etiam rationem doceant, eos oratione carminibusve, feliciter vel excitandi vel sedandi.

§. III.

§. III.

Controversiis hanc doctrinam implicatam fuisse, eo minus est mirandum, quod fatum experta fuit pluribus aliis commune, ut homines cum iisdem vocibus diversas conjungerent ideas; qua peste non remota, certaue rei, de qua disputandum est, notione in antecessum non stabilita atque dilucide explicata, expectari haud potest, ut litium & logomachiarum finis sit. Jam primum Græcorum vocabulum $\pi\alpha\theta\eta$ a Stoicis ad significandos motus animi adeo vehementes & pertinaces adhibebatur, ut rationi non obedirent, sed imperarent, (h. e. gradum modo affectuum summum); quin itaque periculosi censebentur esse atque a sapientis constantia & moderatione alieni, adeoque ab illo prorsus removendi & exuendi, dubitari non potuit. Hoc sensu commode eos latine dixit CICERO *perturbationes animi* (a). Alii vero quascunque mentis commotiones fortiores, etiam quæ in

A 3

ratio-

(a) *Tusculan. Disput. L. IV, C. V.* Idem Stoicorum rationem luculentissime explicat C. VI. dicens: *Est igitur Zenonis hæc definitio, ut perturbatio sit, quod $\pi\alpha\theta\eta$ ille dicit, aversa a recta ratione, contra naturam, animi commotio. Quidam brevius, perturbationem esse appetitum vehementiorem: sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturæ constantia. --- Natura enim omnes ea, quæ bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem simul objecta species cujuscumque est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id cum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici $\beta\upsilon\lambda\eta\sigma\iota\varsigma$ appellant, nos appellamus voluntatem. Eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt: voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat. Quæ autem ratione adversa, incitata est vehementius, ea libido est vel cupidi-*

rationis tamen potestate manerent, ab eaque regerentur, *πάθη* vocabant, graduum hinc insignem varietatem admittentes; quarum itaque magnam partem & innocentem & utilem, quin necessariam prorsus in humana vita esse, recte docebant. Ad latiore hanc ac veriore usuique sermonis communi accomodatiorē *πάθη* vim exprimendam, *αffectus* vocabulum, post interpretationes alias quasdam tentatas (*b*), tandem invaluit; donec ad suæ vernaculæ rationem *Passiones* appellare Gallorum inprimis quidam & Anglorum Scriptores instituerent, voce nullo respectu commoda; cujus ambiguitas, ad majorem quoque in hoc argumentum confusionem inferendam, contulit. Sic Gallis animi etiam propensionēs pertinaciores, v. g. avaritia, ambitio, *passiones* vocantur (*c*), quas, *affectus* tamen dicere, commode nemo potest (*d*). Vocis hujus indoles *CARTESIUM* induxisse quoque videtur, ut in affectibus animum se passive, quod dicunt, habere crederet, definiretque *perceptiones* quasdam aut *sensus* animæ, ac spirituum animalium speciali quodam motu in anima *produci* putaret (*e*); cum

expe-

tas effrenata: que in omnibus stultis invenitur. Quæ liquido demonstrant, quam aperte verbis hi homines luserint.

(*b*) *Morbos* animi vocare non placuit *CICERONI*; *commotiones* plerumque dicit; etiam *permotiones*. Cfr. *Academ.* L. IV. C. 44.

(*c*) Cfr. *HELVETIUS de l'Esprit, Disc. III. Ch. VI, & Ch. IX. seqq.* qui utriusque generis *passiones* perpetuo confundit. It. *Diction. Encycloped.* voce *Passions*.

(*d*) Hujusmodi propensionibus *appetituum* nomen proprie tribuit Ill. *HOME Elements of criticism*, V. I. ch. II. P. I. Sect. I. & acute a *passionibus* (affectibus) proprie sic dictis distingvit.

(*e*) *De passionibus animæ* Part. I, Art. XXVII, XXVIII, XXXVI.

experientia tamen doceat, animum, v. g. in affectu iræ, maxime sane esse actuosum, vehementesque affectuum in corpora effectus idem de reliquis etiam testentur. Longe melius Ill. WOLFIUS (f) actus dixit *animæ, quibus quid vehementer appetit vel averfatur; cujus vehementiæ comes, effectus & signum, est extraordinarius fluidi nervei (etiam sanguinis &c.) motus.* Sed & ipse, & qui rationem ejus adoptarunt multi alii, a se dissentire videntur, cum ad specialium affectuum naturam explicandam progressi, postea gaudium & tristitiam (ad quæ reliquos omnes affectus, parum sane commode, referunt) definiunt *voluptatis aut tædii insigne prædominium,* quod quidem ad generandos hos affectus potius pertinet, quam ipsum affectum constituit. In voluptate enim & tædio, quæ perceptionis, vel sensationis, quædam species sunt, & ad cognoscendi potius quam ad appetendi averfandique facultatem referri debent, animus utique se passive habet (g). Alius fons logomachiarum & confusio-

(f) *Pfychol. Empir. §. 603. Vehementiores autem appetitus non Stoico sensu vocat, sed simpliciter, quam in solito animi statu majores, gradus de cætero plures admittentes.*

(g) Aliter quidem, etiam de sensationibus, Cl. BONNET *Essai Anal. sur l'ame §. 4, 46, 126.* cui concinit Ampl. RONEBERG *Samtal ou Mennisfjans Sját, 11 Del: p. 32;* sed adhæremus comuniter receptis conceptibus, nec vacat hæc subtilius persequi. Commode vero perceptiones in duas dispescuntur classes, prout sistitur nobis aliquid vel tantum ut verum aut falsum, vel simul ut bonum aut malum. Rem proponam verbis Ampl. RONEBERG *I. c. I. Del. p. 33. Perception - - bör betraktas på tvåanne vis, antingen såsom en blott afbild, eller ock såsom en stundom behagelig, och stundom obehagelig Ränsla. Den*

fussionis in hac doctrina fuit, quod in sermone communi eodem nomine non solum ipsos actus appetitus vel aversationis vehementius erumpentis, sed etiam *conservatam* deinceps *animi ad illos, in idem objectum*, ut loquuntur, *vel eandem personam, repetendos proclivitatem, quotiescunque ejus idea menti recurrit*, significamus; sic v. g. amorem vel odium alicujus personæ hominibus adscribimus, non modo quorum animi actu ipso horum affectuum motibus agitantur, sed & quorum mentes ita erga illam dispositæ sunt, ut quotiescunque ejus idea illis obvieniatur, iisdem mox affectibus inflammentur (b). Hoc sensu sumti affectus, nihil aliud sunt quam diutius manens vividitas certarum idearum, in repositorio mentis asservatarum, & idonearum, quotiescunque ei sistantur, (sistun-

förändring, som sker i Rännesätet, är lika som Er (formosam alloquitur mulierem) bild i spegeln; bilden är något annat än den ljustiga känning jag hafver af dess åskådande. I det förra affeendet kallas perception en idee eller tankebild, och indelas uti åtskilliga mörkrets och klarhets grader, allt som ideen mer eller mindre tydeligen repræsenterar objectet: i det sednare affeendet åter betraktas perceptionerna såsom vissta sentiments, känningar eller känslor, hvilka skiljas uti flera ljustighets och obehaglighets grader. Genus perceptionum quod nostras Philosopher känslor, III. HOME *Emotions* vocat, distingvens a *Passionibus*.

(b) Possis huc trahere distinctionem commotionum animi in *prætereuntes* & quasi *temporarias*, atque *constantes* & *durabiles*, (quæ ita quasi radices in animo egerunt, ut sæpissime recurrant), a celeb. ERNESTI propositam, *Init. Doctr. solidioris*, Psychol. C. II. §. 74, licet ille proclivitatem generalem ad affectus certos, non satis distinxisset ab eo videtur mentis statu, quem solemus ipsius affectus nomine vocare.

(sistuntur autem, propter ipsam vividitatem suam, sæpe), ad eosdem ejus motus de novo excitandos; qui itaque, licet per intervalla quasi dormiant, tamen ad actionum nostrarum cursum determinandum multum conferunt; ideæ autem istæ, nisi subinde repetita representatione vigor suus confirmetur, sensim debilitantur, atque tandem evanescant. Hic igitur animi status, a veris differt affectibus, ut morbus diuturnior ab acutioribus, levi sæpe de causa redeuntibus, suis paroxysmis; & majorem cum propensionibus supra memoratis, avaritiæ, ambitionis &c. cognationem habet. Quod igitur genus utrumque, si *passionum* voce communi complecti quis voluerit, non est habiturus sibi repugantes; quo *affectuum* nomen, majoris distinctionis causa, solis actibus vehementiorum appetituum & aversionum exprimendis reservari queat. Itaque nec jam ad durabilium s. constantium illorum affectuum genus peculiariter respicimus; quod quæcunque de illis monenda sunt, ex doctrina de habitibus mentis in genere, assumtis in auxilium quæ de actualibus verique nominis præcipiuntur affectibus, satis dispalescunt. Quæ porro ex frequentiori affectus alicujus reditu, in universum enascitur ad eidem postea quoque indulgendum *proclivitas*, in eandem tamen personam non *directa*, affectus nomine venire haud solet; dispositioni, ut loquimur, corporis malæ in certum incidendi morbum, non morbo ipsi assimilanda. Ita misericordiam, iracundiam, timiditatem, a commiseratione, ira & metu distinctas, pronitatem ad odium vel invidiam &c., affectus non dicimus, quamvis odii diuturni, invidiæ inveteratæ, &c. affectu aliquem laborare, frequenter affirmemus. Inter motus autem animi, quibus affectuum nomen rectissime tribui docuimus, & alios quoslibet actus mentis appetendi vel aversandi, quamvis hoc præcipue discriminis statui debere significaverimus, quod tum demum affectus voca-

re oporteat, quando vehementiores evadunt, id est, convetum atque ordinarium modum excedunt, (quam vehementiam suam fluidi nervei (z) & aliarum etiam partium corporis motu extraordinario efficiendo produunt) (k): gradu tamen hos affectus magnopere inter se differre, eundemque affectum alias magis alias minus vehementem esse, ac vim eorum eandem quoque hanc sequi rationem, minime iusticiamur. Itaque nec iis repugnabimus, quibus in binas eosdem classes dispescere placet, mitiores & vehementiores, ac peculiari quamlibet nomine signare (l); quamvis accuratos inter eas limites stabilire, aut ad utram singularia exempla pertineant definire, ob infinitam fere graduum varietatem, difficillimum sane fuerit.

§. IV.

De origine affectuum disputantes Philosophi, alii e-
os

(z) Nervos vasa cava esse, fluidum quoddam i. spiritus sic dictos animales continentia, quamvis non demonstrent, adeo tamen probabilibus nixi rationibus Physiologi docent, ut merito hoc eorum iudicio standum sit. Cfr. HALLERI *Elem. Physiol.* T. IV. L. X. Sect. VII. §. III. sqq. & Celeb. MARTIN *Tab. om. Nervos. allmänna egen- skaper i menniskians kropp*, p. 27 seqq.

(k) Cfr. v. HALLER l. c. T. V. L. XVII. Sect. II. §. V, VI, VII.

(l) Eo spectasse QUINCTILIANUM, quamvis mitiores illos affectus cum moribus, non, incommode confunderet, ex *Instit. Orat.* L. VI. C. 2, luculenter patet. Cfr. SEARCH *Light of Nature* Vol. I. Part. II. Ch. XXI, §. 18. qui mitiores illos affectus vocat *affections*, vehementiores autem *passions*, de utrorumque discrimine luculenter & egregie, pro more suo disputans.

es hominibus ab ipsa natura datos esse, s. nobis connatos, autumare solent, alii acquisitos & humanæ operæ debitos, statuunt. Illorum quidem pronuntiatum quid significare debeat, accuratius excussum, difficile fuerit definire. Ipsos enim appetendî vel averfandi actus vehementiores, qui soli proprie affectus vocari debent, spectare nullo modo potest: propensio vero illa ad actus hosce in particulares quasdam personas aut res promendos, alios ejusdem generis, qui antea jam eruperint, præsupponit, atque ideas claras illorum objectorum in quæ feruntur, effectuumque ab horum actionibus resultantium; ita ut hoc quoque sensu affectus connatos esse, absurdam sit statuere. Restat igitur, ut solam facultatem in affectus olim erumpendi, natura nobis dederit; ex qua tamen affectus proprie dicti non prius nascuntur, quam quadam ad eosabilitas in organis nostris mentalibus genita fuerit, & spiritus animales, certis ideis menti objectis, cum impetu per certos canales fluere didicerint; quo exercitio continuato, sensim affectus evadunt vehementiores, quorum itaque vis vel lenitas ab educatione plurimum pendet. Vim naturalem quandam agendi indeterminatam, eamque satis vehementem, nos in hunc mundum nobiscum adducere, extra dubium est positum; eam infantes mox produunt, qui cum aliquid eos voluptatis vel molestiæ quodam sensu afficit, vehementem agitationem exferunt, brachia pedesque protendentes, & singulos fere corporis musculos in motum impellentes: ut alias quoque, quoties vigilant, in perpetuo fere eos esse motu, videmus. Simul autem liquido patet, eos nescire tamen qua ratione hanc vim suam ad fines particulares obtinendos applicare debeant (a). Sed jugiter eam

(a) Recens infantes nati nec amare sciunt, nec odisse, nec metuere &c; sensim hæc omnia discunt. Terribilissima

eam ita exerendo in tales incidunt motus, qui aut indigentia suā satisfaciunt, aut placent sibi grata illa sensatione quam ex iis percipiunt exercendis: idea porro horum motuum in mente sua manens, ad similes alia occasione repetendos eos urget, sicque sensim virium suarum usum experientia edocti, nisus suos ad certas partes dirigunt. Hac vero cognitio, cum diu manca valde maneat, semper plus conatus adhibent, quam opus est; vehementia obtinere studentes, quod recta virium administratione perficere nesciunt. Hi conatus in organa tam reflexionis quam motus exerciti, saepeque in easdem partes repetiti, vias, cum vitali has circulatione conjungentes, magis aperiunt, quæ ita facilius animales admittunt spiritus, copiosoremque eorum fluxum recipiunt, quam in naturali suo statu poterant. Unde vehementia & pervicacia affectuum enascitur, qui vix alias ideas mentem intrare permittunt, quam quæ ad suam familiam pertinent, neque removeri possunt antequam fervor iste sponte remittit: qua in re, quin magnæ quoque sint spirituum animalium partes, dubitari minime potest, cum effectus consideramus, vulgo in pulsu arteriarum, nervis & vultu, una conspicuos. Itaque ipsi videmur affectus nostros nilu generare nostro; non quidem consilio destinato, cujus vix capax eo tempore est animus infantilis cum fundamenta eorum jacit, sed attentionis istius ope quam res fortius eum ferientes, illi vix conscio expriment (*b*). Vis igitur illa, quam primum esse fontem affectuum nostrorum diximus, non alia est, quam

speclacula illis objecta, manifestæ minæ &c. primum nihil illos movent. Voluptatem & dolorem non sentiunt, nisi physicum.

(*b*) SEARCH I. c. Vol. I. Part. II. Ch. 17. §. I. p. 17. lqq. & Ch. 21. §. I.

quam quæ ad cæteras etiam quascunque actiones suscipiendas mentem nostram sollicitat; præsentis videlicet I. immediatæ, ut loquantur, voluptatis percipiendæ nisus. Quæcunque actio, ut in præsentis suscipiatur in nostra potestate posita, voluptatem nobis promittit, illa animum ad hujus sensum obtinendum invitât; qui animi status desiderium I. appetitus vocatur, nihil involvens aliud nisi prospectum perceptionis alicujus jucundæ, una cum præsentis aliquo actu, quem ad eam obtinendam pertinere concipimus. Hujusmodi autem appetitus quilibet, non statim affectus est, quod sedatior plerumque sit quam ut hoc nomen mereatur. Cum autem propositum ad quod tendimus, primo non assequimur conatu, mens vim suam intendit, existimans vehementiorem nisum effecturum quod minori non successit: namque vulgo animadvertitur est, difficultates desiderii nostris obstantes, a quæ similes in prunam effusæ, si non sufficiunt ad eam extinguendam, ad flammam potius augendam pertinere. Post frequentiores hujus generis conatus, spiritus animales habitum acquirunt vehementius quasi exarsuandi, qui æstus eorum, nullam aliam, nisi objecti, animum jam concitantis, ideam illabi vel irruere finit; tumque demum appetitus noster affectus formam induit. Sensationes & appetitus animales fortiores, vehementes quidem commotiones in prima jam hominis ætate excitare valent, antequam ullus acquiri habitus potuit: sed utrumque genus ab affectibus tamen distingvere solemne semper fuit, in quibus reflexionis organorum præcipuæ sunt partes, ideæque diutius remanent ac profundiorum impressionem in animo efficiunt, quam quæ a sensatione sola provenire potuisset; quæ itaque adaucta vis, ex habitu acquisito sine dubio illis accrevit (c).

(c) SEARCH I. c. § 2. p. 50. 1q.

